



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Parochorvm, Sive Institviones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officij Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

XXIII. De lethaliter vulneratis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

140 *Institutionum Pastoralium*
mes, ergo depone officium. Nolo, in-
quis; ergo perge animosè; præcaue ta-
men, quantum potes iis modis, quos
sugessi. Si vel sic morière, memine-
ris in Romano Martyrologio Santo-
rum Martyrum numero accenseri eos,
qui pro iuuandis pestiferis vitam suam
exposuerunt.

NVM: XXIII.

De lethaliter vulneratis.

Si veneris ad Iæsum lethali vulne-
re; & Chirurgi, aut alii præsen-
tes, dum sanguinem sistunt, aut me-
dicamentum, ne statim expiret, ope-
rosè admouent, tibi nullam moram
permittant, vt excipere confessionem
possis: pete, vt vnum alterūmue pec-
catum secretò iam aperiat breuissimè;
vel saltem signa det doloris, & desi-
derii confitendi, iisq; habitis, absolu:
deinde capta tempus, & plusculum
otii, vt si fieri possit, integrè confiten-
tem audias, & prout tempus feret, de-

Viat-

Viatico, & extremâ Vnctione cura;
in primis autem age, ut iram ponat,
offensam inimico condonet, Christi,
Sanctorumque exemplo, sicut & ipse
vult sibi à Deo ignosci: ita tamen, ut
intelligat posse Iudici rem committi,
modò id velit ex zelo iustitiae, & boni
publici, aut eorum, quorum id inter-
est; non ex odio, & studio priuatæ
vindictæ. Si ille, qui læsit, cupiat co-
rām deprecari, Chirurgum, & ratio-
nem consule, an expediatur; ne fortè
bilis, aut alii humores ex aspectu, &
verbis illius commoti vulnus exacer-
bent, & exulcerent animum: fortè sa-
tis fuerit, & tutius, per virum aliquem
Ecclesiasticum, eius, qui læsit nomine,
istud peragi, & læso id satis esse debet.

N V M: XXIV.

De periclitantibus, præsertim ex partu.

Mone populum, ut qui pericolo-
sam nauigationem, vel prælium,
vel periculum contagionis subeunt:
item-